



I. Abtheilung : Studien.

Litterae Celsissimi ac Reverendissimi Principis- Archiepiscopi Viennensis.

Redactio spectatissima!

Quoniam omnes socii Benedictinorum ordinis antiquitus venerabilis singulari voluptate perceperunt consilium, iam anno 1879 manifestatum, ut S. Benedicti, monachorum occidentalium patriarchae, diei natalis iubilaeum quatuordecim saeculorum sollemni ratione celebraretur. Cuius rei voluptas eo magis invaluit, quum in praeparando hocce iubilaeo unanimis omnium consensus adpareret, ex quo rei successus optimus potuit expectari. Huius iubilaei historia perpetuam eius memoriam etiam in historiae ecclesiasticae annalibus conservabit. Huius illa singularem efficit partem neque exigui habenda est momenti, quoniam inde fit manifestum, quanta sit animorum coniunctio, quantus vigor, quantique conatus in amplo illo ordine, qui multis abhinc saeculis ecclesiae in diversissimis casibus magnifice suum officium saepe praestitit.

Expectationi, quam ordo de eo iubilaeo digna ratione celebrando fovebat, revera praeclare satisfactum est eximia illa celebritate, quae anno 1880 decurrente in diversis terrarum partibus habebatur.

Equidem iam a primo propositae iubilaei celebrationis momento non solum de ea propositione vehementer ac sincere

laetabar, sed etiam quamlibet manifestationem exhibitae sancto ordinis fundatori venerationis per diversissima locorum hominumque genera certe attento animo sequebar.

Quodsi manifestationes eiusmodi cum illa ordinis sollemnitate remotius propiusve cohaerentes, magis minusve momentaneae videbantur, et tamen a me iure atque merito comprobabantur; tum profecto eo maiori perfundebar voluptate, quum audirem, libros trimestres adparari scribendos, qui in perpetuam illius iubilaei memoriam communes omnium Benedictinorum conatus literarios velut in medio positos coniungerent atque suscitarent.

Hi libelli trimestres, sub titulo „Studien und Mittheilungen aus dem Benedictiner-Orden“ editi, auxiliante omnino divina gratia, quae cuivis operi ad maiorem Dei gloriam vel ad eius sanctos venerandos suscepto contingit, iam duorum annorum cursum prospere sunt emensi. Haec duo egregia volumina hucusque in lucem edita pervolvens invenio, in hisce „Studiis“ non modo quaslibet vel minimas sollemnitates, a gratis animis in honorem sancti fundatoris anno iubilaei habitas, adcurate consignatas contineri, sed etiam opus hoc ad metam ab origine sibi propositam in dies propius accedere, scilicet ut in eo cuncti Benedictinorum conatus literarii, sicut uno eodemque regulae S. Benedicti vinculo sunt coniuncti, ita in conscribendis conservandisque rerum doctarum monumentis consocientur. Observavi praeterea, viros sollertes literarum disciplinas in omni genere sibi colendas proposuisse, suique laboris in hoc utroque „Studiorum“ anni cursu iam spectatissima dedisse documenta. Quod ego iam tum ita futurum cogitabam, quum adhuc abbas conventui praeerem, cui antiquitus praecipuus labor erat, scientiis ex mente ecclesiae colendis sese consecrare. Quum Dei misericordia et sedis apostolicae gratia sedem principis archiepiscopi Vindobonae conscendissem, certo certius futurum arbitrabar, ut expectationes, quas de illis „Studiis“ iam pridem conceperam, om-

nibus ex partibus explerentur. Inprimis equidem indulgebam persuasioni, hosce libellos intentione prorsus catholica ductos sicut hucusque adiumento esse futuros, ut disciplinae vere catholicae cura, hoc aevo magnopere desideranda, omni modo augeretur.

Inter multos variosque labores, in nova mea pastoralis provincia tam difficili reddendaeque rationi subiecta mihi obeundos, blando mihi semper est solatio, videre, quemadmodum magna Benedictinorum familia, ex qua multi etiam viri in tali vinea, qualis meae custodiae commissa est, operantur, et cui me quoque adscriptum esse gaudeo, secundum ordinis sui regulam coniunctim ad augendum in dies clari fundatoris nostri honorem atque cultum intendatur. Hoc animi mei solatium hic loci publice enuntiandum existimo hunc in finem, ut cuncti huius ordinis regulam profitentes, qui profecto numerosi sunt, ad conatum studiumque suum in dies magis prosequendum incitentur. Quem in finem etiam lubentissimo animo pro summo, quo fungor, munere archiepiscopali benedictionem omnibus illis impertior, qui in his trimestribus ordinis libellis elucubrandis, velut studiorum suorum fructibus promendis, operantur; quibus vocibus denique vota subiungo, ut libelli ordinis trimestres etiam porro secundum supremam ordinis totius regulam ad maiorem Dei gloriam et ad colendam augendamque doctrinam vere catholicam floreat atque incalescant.

Datum in nostra principali archiepiscopali sede
Vindobonae 27. Februarii 1882.

Coelestinus Iosephus,
Princeps archiepiscopus.
